

Q.N. 239

Za
5345

X 204 7919

HAC SUCCINCTA AD-
UMBRATIONE
V I T A E,
QVAM IN HAC MORTALITATIS PALAE-
STRA EXEGIT

VIR PERREVERENDUS, EXIMIUS ET
CLARISSIMUS,

DN. M. JOSEPHUS CLAUDE-
RUS, CELEBERRIMI NOMINIS POETA CHRI-
STIANUS, NEC NON ECCLESIAE ALTEBURGEN-
SIS ARCHIDIACONUS MERITIS-
SIMUS, ETC.

PLUR. VENERAB. ET AMPLISS.

DNN. INSPECTORES,
SUMMOSQVE ALIOS AC DOCTIS-
SIMOS VIROS.

M. JOH. SEB. Mitternacht / ILLUSTRIS RU-
THENEI RECTOR,

U T

ORATIONEM PARENTALEM,
CLAUDERIANAE MEMORIAE SACRAM,

Q V A M

DAVID ZIEGLERUS, GERANUS,
LIPSIAM ABITURUS,
CRASTINA DIE SUB SECUNDAM POMERI-
DIANAM E CATHEDRA PUBLICE RE-
CITABIT,

BENEVOLI, FAVENTES ET FREQUENTES,
AUSCULTARE DIGNENTUR,
SUBMISSE, OFFICIOSE, ET AMICISSIME
ROGAT, ET INVITAT.

GERAE, TYPIS ENOCHI KÜCHLERI

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



N evidentissimâ luce positum videtur, iis cum primis, qui temporum historias mentis acie paulò accuratius perlustrarunt, quod *dignam laudem virum Musa vetet mori*. Omnes n. Historiographi, sive aevi veteris res gestas evolvamur, sive inspiciamus acta recentiorum, testantur, habuisse hoc peculiare sibi viros de bono publico praeclare meritos, ut, quemadmodum vivi ac spirantes adhuc omnium facile in sese amorem pellexerunt, omnium traxerunt ad se studia, omniumq; cultu atq; encomiis decorati fuerunt; ita, simul ac exuvias mortaleis fatali decesu liquerunt urnae, omnium voce ac depraedicationibus in aethera ferè elati fuerint. Ista v. laudes, quibus defunctos tum Poëtae, Musarum filii; tum Oratores, singulares illi persuadendi artifices; tum viri alii magnis naturae ac studiorum bonis abundantes, ornant, omninò faciunt, ut, qui è mortalitatis contubernio abierunt, immortales videantur, ac frequentissimi sint in ore mortalium, non secus, ac si vivi adhuc nobis interessent, atq; versarentur in oculis omnium. Tanta est virtutis dignitas, tanta efficacia. Tanta quoq; Musarum in eos voluntas, qui, quò exactius noverunt vitia, hoc melius constantiusq; repraesentarunt virtutem. Illa ad decantandas, quas meretur, laudes invitat & adlicit; hae v. se promptissimas ad subeundam hanc provinciam exhibent, ut nihil vel in illâ, vel in his desiderari possit. Haec quum ante duos ac decem ferè annos, audito tristissimo de excessu VIRI MULTUM-REVERENDI, CLARISSIMI, ET EXIMIE-DOCTI, DN. M. JOSEPHI CLAUDERI, CELEBERRIMI NOMINIS POETAE CHRISTIANI, & Ecclesiae Alteburgensis Archidiaconi meritisimi &c. nuncio, mihi revocarem ad animum, atq; unâ menti meae subjicerem amorem,

rem
nos
bus
inc
fed
eis
ctu
ma
cta
aer
in
arb
me
nib
po
am
Me
ad
no
no
de
leb
mu
ru
ge
Na
Se
II
be
tu
fo
ha
B
ur
pr
m



rem singularem, ac *verè paternum*, quo ille me persequutus tot annos fuerat: illicò intendebam animum in beati Viri laudes, quibuscumq; modis orbi litterato exponendas. Immò spem haut incertam ejus rei per litteras faciebam non bonorum dumtaxat, sed virtutis etiam paternae haeredibus ex asse. Et ne fumum eis vendidisse viderer, aliquoties manum admovebam tabulae, picturus, quantum quidem possem, Defuncti vitam, merita & famam. Sed v. muneris, quo fungor laboriosissimo, ratio, oblitata semper coepto, retraxit, & avocavit ad alia omnia mentem aeqvè ac manum; ut, quod sanctè pollicitus fueram, praestare in hunc usque diem non licuerit. Alio itaq; consilio utendum arbitratus discipulo adolvebam provinciam: ut aliquo saltem modo, quae decreta pridem fuerant, exsequerer. Ne interim nihil ego videar fecisse, caesuratim dumtaxat, quae dici uberius possint, delineabo: quum chartae istius angustia dicendorum ambitum haut capiat. Lucem hanc communem *o uanae* Mosbachii primùm conspexit, qui pagus, vel vicus est Neostadio ad Orilam vicinus. Adeoque abundè confirmat hoc suo ortu, non Patriam semper nobilitare hominem ibi editum, sed illustrari non infreqventer eorum virtute ac meritis, quos è suo Reip. sinu dedit. Ac certè priscae quotqvot terrae olim vel oppida ad celebritatem aliquam nominis pervenerunt, ea non tam finium aut murorum ambitu, vel aedificiorum splendore, vel munimentorum vi ac robore, vel agri fertilitate, ac mercimoniis, quàm indigenarum virtute, & natis inde laudibus claritudinem acceperunt. Natus est a. anno à nato Salvatore c^o l^o XXCVI. a. d. VI. Kal. Sept. quo ipso anno. epoches Christianae c^o CXXCI. Alexander III. homo ille perditionis, nihil ferè hominis, praeter formam, habens, à quo Fridericus I. Imp. multipliciter ac indignissimè vexatus, ac calcatus pedibus Venetiis fuerat, exhausto mortis poculo foedissimam efflavit animam, ut è Calvisio liqvet. Parentem habuit VIRUM REVERENDUM ATQVE DOCTISSIMUM, DN. JACOBUM CLAUDERUM, ad ipsos usq; LIV. annos Mosbachienfium Pastorem, antiquae virtutis ac fidei virum, cujus nomen jam pridem, quippe Concordiae libro subscriptum, consecratum immortalitati fuit: Matem v. ELISABETHAM DIETSCHIAM,

ma-

matronā propter dotes egregias ac singulareis singulari laude or-
 nandam. Parentes isti quoniam non ignorabant, non sufficere
 natum esse filium, renasci, & ablui eum à sordibus originalis mali in
 solenni illo initiationis sacramento voluerunt, & memorando *Jo-*
sephi nomine nuncupari. Nec quidquam neglexerunt, quod quidem
 ad *την φην καὶ παιδείαν*, formandamq; ad pietatem indolem, ac
 instillandas maturè litteras monenti aliquid habere existimabant.
 Ut n. vasa eum odorem, quò primum imbuta sunt; ita animi, quas
 primas opiniones combiberunt, constantissimè servant. Ideoq;
 prima Parentum esse cura debet, verà pietate imbuerè liberorum
 animos, ac litterarum in eis amorem plantare. Nec frustra erat
 hoc Parentum studium; qui animadversâ indole egregiâ, actisque
 pro eâ Deo gratias, Slaizam deducebant filium cognato suo, DN.
 GEORGIO CLAUDERO, civi ac mercatori primae cerae cre-
 ditum. Et hîc puer sub Doctissimi Dn. Rectoris, M. J U S T I
 SCHELHAMMERI, moderamine magis atq; magis ingenii, quod
 felicissimum nactus fuerat, dotes explicabat, lingvarumque Lati-
 nae & Graecae fundamenta avidissimo combibebat animo. Et
 jam in certamen concurrere cum Pallade Mercurius videbatur,
 & experiri, cujus esset hic Josephus. Hic mercatorum opulen-
 tiam, divitiarum amplitudinem. &, qui sequi eas ut plurimum
 solet, honorem ostentare cum ambitu: illa v. virtutis decus, fa-
 mae dignitatem, & vel post funera immortale nomen promittere.
 Nam occasio se commodissima quasi ad manum dabat, mercatu-
 rae artis discendi Noribergae, quò eum ablegare cognatus con-
 sultissimum arbitrabatur Sed reluctabatur modis omnibus Elisa-
 betha, mater piissima, quae Sapientiae studiis mancipaverat jam-
 pridem suum, eidemq; haec studiosè commendans, tu verò, in-
 quiebat, litteris invigilabis, etiamsi exploratissimum haberes, te
 ultra Ludimoderatoris dignitatem numquam adurrecturum es-
 se. Quae optumae Parentis monita quum revocasset sibi Jose-
 phus ad animum, in aetate grandiore constitutus, hoc fudit disti-
 chon:

Ecce, piae Matris valeant quid vota, precesque!

Urbis ego geminae LUDIMAGISTER eram.

Nuncium itaque mittens Mercurio, divitiasq; omnes τῆς τέχνης
 ἐπέτην arbitratus, generoso contemptu calcabat, nomen v. profes-
 sus.

sus Senatoriae Neostadiensium Scholae ad quinquennium usq; ab
eiusdem pependit uberibus, eaq; in linguarum & artium instru-
mentalium studiis confecit spatia, M. MICHAELE PHARE-
TRATO, Rectore haut incelebri, usus, ut dignissimus habe-
retur, qui crederetur liberiori Academiarum aurae, uberioremq;
sibi eruditionem compararet. Academicis igitur studiis initian-
dus Leucori civem dedit, instructus commeatu uberrimo eruditi,
ac cupidi perquam discendi animi, & bonae mentis: cui rectores
erant ac duces hinc temperantia, inde pudor. Neq; n. nisi horum
auspiciis adsvetus animus egregii aliquid aut concipere umquam,
aut gerere potest. Atq; hic vastissimus dicendi se campus ape-
rit. Possem n. excurrere in laudes amplissimas celeberrimorum
virorum, à quibus in Logicis, Ethicis, ac Politicis, Graecis, Mathe-
maticis, Poëticis, ac Philologis, nec non in Theologicis solidè non
minus, quam egregiè ac feliciter eruditus fuit, & inter quos caput
prae reliquis extollunt Taubmanus, Smidius, Mylius, Hutterus,
Franzius, Balduinus, Försterus, Meisnerus, Martinus, quorum
memoria sit in benedictione. Omnes vero illi, ex quo muneribus
amplissimis praepositi fuerunt, nihil antiquius habuere, quam ut
studiosos tum Theologiae, tum Philosophiae ac linguarum, quan-
tum in ipsis fuit, omni liberali ac sanctiore doctrinâ excolerent,
atq; augerent: ac multorum annorum laboribus & vigiliis id con-
sequuti sunt, ut non in vulgò modò, sed apud ipsos principes Reip.
litterariae dexterrimi Doctores haberentur. Ac sanè non parum
refert, quibus utamur praceptoribus. Quo a. eos loco habuit?
Eo profectò, quem insignis eorum & admiranda eruditio mereba-
tur. Et quia pudoris ingenui est, fateri, per quos profeceris; quum
ad munus Scholasticum Neostadium evocaretur, nequaquam eos
imitandos putabat, qui, Aristoteleo, vitio, Praceptorum haut
temerè mentionem faciunt, nisi quum reprehendere, & sibimeti-
ipsis, superbi & adrogantes, debere omnia videri volunt. Ali-
enissimo ab his ingenio B. CLAUDERUS erat: ideoque sub abi-
tum in singulorum Doctorum laudem carmina *ὀχραεστία* pro-
venae suae felicitate elaboravit, & anagrammas in ingeniosissimis
intextis interstincta & ornata typis describenda dedit. Ipse eo-
rum exemplum olim in *μυσεῖον* muséo vidi, & admiratus sui,
Ni-

Nihil n. coactum, infortum nihil, ac nullam prorsus elisionem, quam vocant, cernere erat. Suapte sponte fluebant omnia; ac mirificam quadam dulcedine, velut nectare, stillabant omnia. Adcoq; hoc uno labore testabatur, non frustra indultum sibi per annos integros quinque Electorale stipendium, aut collatos X. Kal. April. ann. clō Iōc XIII. Philosophici Doctoratus, ac laureae Poëticae honores fuisse. Ut a. laborum indefessum suus plerumque honor ac praemium excipit: ita pulcerrimi fructus ad CLAUDE-RI sudores Academicos è vestigio fuere subsequuti. Etenim, quod antea tangebamus, à Neostadiensibus a. d. VI. eid. Jul. clō Iōc XIII. Conrector: & anno insequente clō Iōc XIV. a. d. XIIIX. Kal. Decembr. à Plur. Venerabili ac Magnifico, quod Alteburgi est, Synedrio five Consistorio Phrontisterii Alteburgensis Rector, praeter opinionem aut spem ullam vocatus, eam Serenissimorum Principum gratiam, eum Summorum Virorum favorem, eum civitatis universae amorem, eam alumnorum observantiam conciliavit sibi, ac ad extremum usq; halitum conservavit adsidue, ut majorem ne votis quidem conceptis optare posset. Et quid de discipulorum numero, quorum ultra duo millia & quingentos albo Scholastico inseruit, dicam? Nec facile ullius mortalis ingenii facultas, aut linguae doctioris facundia enarrare dignè poterit, quantos impensi labores successus habuerint. Cui rei id imprimis argumento est, quod tantum eorum, quos antè poliverat, agmen ad supremos omnium Facultatū honores ac dignitates adspiraverint, ac pervenerint cum adplausu. Ut non adeò multos habeat, quibus ea laudis pars aeqvè obtigerit. Ad laboris olim exantlati praemium meritò referimus etiam, quidquid in beatum boni ex functionibus Ecclesiasticis redundavit. Posteaquam n. in pistrino Scholastico XIX. ann. desudaverat strenuè, ac gravitate morum, dotibusq; pluribus aliis meritis fuerat, ut vitae & institutionis haberetur exemplum, communi eorum suffragio, quibus incumbit ea provincia, adplaudente civitate universa, ann. clō Iōc XXXIII. Ecclesiae Diaconus, ac deinceps clō Iōc LI. Archidiaconus, lectus atq; constitutus fuit. Perspectissimum videlicet habebant Proceres, nullum quidem, Cicerone iudice, munus Reip. adferre vel majus vel melius nos posse, quam si doceamus

mus

mus & erudiamus juventutem; studiumq; formandi pueros anti-
quis maximum fuisse: sed hanc ipsam docendi pueros provinci-
am longè difficilissimam & laboriosissimam à cordatis omnibus ju-
dicari, quidquid judicent alii, qui cum ignarissimis nesciunt, quid
requiratur à Scholarum Doctoribus. Ut igitur intelligeret B.
CLAUDERUS, se haut inter ingratos meliores vitae annos tran-
siisse, quietiori Spartae praefectus fuit, & eo in loco honoratori.
Quam quomodo ornarit, vix opus est dicere, quum id nulli um-
quam aut dubium fuerit aut obscurum, nec quemquam latere faci-
lè possit, qui Alteburgi fuit. Ad felicitatem piis promissam con-
jugium etiam pertinere videtur, quod ann. clō Ibc XIV. cum le-
ctissimi oris ac pudoris virgine BARBARA, VIRI PER-REV. ATQ;
CL. DN. M. MICHAELIS NEANDRI, tum Neostadiensium Ar-
chidiaconi, filiâ, inierat. De hujus certè insigni foecunditate me-
morare multa liceret, si liberet: Decem n. ex se natos, sex nimi-
rum filios, ac filias quatuor, atque ex his XIX. nepotes ac nepteis
numeravit; quod utique rarum foecunditatis exemplum est. De
diuturnitate foederis hujus nihil necesse est adjicere, quum con-
stet, id ultra XXXIX. annos, ad beatum videlicet viri beati excen-
sum usque, durasse, quae paucissimorum conjugum felicitas est.
Inprimis, v. conjugium illud commendare videtur liberorum
ὕψιστα, praeclara indoles, educatio felicissima, & eam sequuti
amplissimi honores. Non urgebo a. generorum, quibus matri-
monio natas junxit, dignitates, Ecclesiasticas omnes, si unum ge-
nerum excipiamus; quamquam & ille inserviat Ecclesiae, animan-
do in Dei laudes templi ducalis organa pneumatica: sufficiet, ho-
noris amplitudinem, filiis divinitus indultam, per transennam sal-
tem, strictimq; ac summam adspicere. Et hinc primò statim ob-
tutu tres sese Doctores ostentant, SS. ac purioris Theologiae u-
nus, duo verò Hygæae vel artis Medicæ. Illum Delitium delitium
suum aestumat, veneratur ac colit, ejusdemq; & raras linguae do-
tes, & profundos ingenii ac reconditæ eruditionis thesauros ad-
miratur: hos v. cum aula, tum civitas Alteburgensis in oculis fer-
re, ac fovere in sinu solet. Nec minor ferè quarti gnati gloria est.
Nam ut nec Theologiae Doctor audiat, nec Machaoniae scien-
tiæ; eas tamen cum adplausu omnium litteras profitetur ac tra-
dit,

dit, in Gymn. Coburgēsi, ad quarū solidiorē notitiā paucissimi ad-
spirant, ac perveniunt multò pauciores. Nō ego haec adsero: ad-
serta pridem à celeberrimis viris repeto; idque, ut opinor, impune
mihiserit. Loqvatur J. Camerarius, non Germaniae solum, sed ōnis
etiam Europae ornamentum ac decus Adr. Turnebo, homini Gal-
lo, licet numqvam fortasse, nisi in scriptis, ingenii documentis, vi-
sus. Loqvatur Heinſius, Vir absq; pari ingeniosus, veterum non
paucis superior, paucis omninò inferior, ut Nobilissimus Barthius
judicat. Loqvatur famigeratissimus Dilherrus in oratione de
Philologia. Loqvatur Erasmus, qui in aureo de rectā Latini
Graeci; sermonis pronunciatione tractatu inquit: *proclivius est
vel in triplici jure Doctoris nomen, quam semel boni Grammatici titulum pro-
meruisse.* Et antè paulò ait: *an tu credis, minus referre civitatis, ut sit
probus pueritiae formator, quam ut sit probus Episcopus? Eadem est utriusq; fun-
ctio, nisi quod hic fingit aetatem teneram, ille jam adultam: atq; ut par sit ars,
litteratoris OPEROSIUS est negotium, & ob hoc utilius, quod materiam fin-
git magis obsequentem digitis. &c.* Loqvatur Muretus, qui inquit: Cicero
toties inculcat, ei, qui ad eloquentiae gloriam adspiret, *pervolutandum esse
OMNE SCRIPTORUM GENUS, ut multiplici rerum cognitione quasi eae-
tificata efflorescat, ac redundet oratio.* Sed haec non dico, ut cuiqvam
faciam aegrè. Ut à contemptu Dn. M. I S R A E L E M vin-
dicem; dico, & ne in suspicionem vel infeliciois ingenii,
vel ignaviae rapiatur, quod Doctoris nomine non veniat.
Impetrasset, ut auguror, id aeqvè facilè, ac alii fratres, si operam
suam uni saltem Facultati dicasset. Sed Professionis ratio per
plerosq; omneis auctores raptat virum optimum. Quae a. felici-
tas est, tot ac tam famigerabileis numerare filios? Non cuivis ho-
mini hanc contingit adire Corinthum. Quamqvam etiam hanc fe-
licitatem non promeritus ullis; suis operibus *ὁ δάναε* fuit; eam
tamen gratuita remunerationis signum, bonorum operum studi-
um subsequutae, si aestumavero, nihil fortè allucinabor. Nec n-
frustra serviri sibi vult Deus; uberrima nostris operibus, imperfe-
ctissimis licet, pollicitus praemia. Si, quae sint bona Beati ope-
ra, quis quaerat, respondeo; non gestare cilicia; discalceato pe-
de obambulare; radere verticem; abstinere carnibus, caseo, buty-
ro, uxore; cantillare definitis ac statis horis in templo ad sangvi-
nem

nem usq; flagellis tergum caedere, & quae plures sunt ineptiae, in quibus Cle-
rus Romanus summam bonorum operum quaerit: sed curare cum fide pubem
Scholasticam; lingvas & arteis instillare dextrè; corripere ac castigare adole-
scentū petulantiam ac pravos mores; molestias atq; cōtemptum, quo Scholarū
Doctores obruuntur saepenumero, mente, quā decet viros nō molleis, h.e. for-
ti ac patienti, ferre; emendare styli exercitia, ad se facere ad virtutes; à vitiorū
illecebris avocare; precari, ac felicissimos laboris successus rogare Deum: post
populi salutem omnium rerum opifici commendare jugiter; sincerè verbum
Dei explicare; urgere catechesin; arguere peccatores; solari pauperes, & fati
atrocitate, quae urget, perculsos; administrare Sacramenta, mystica illa san-
ctissimarum rerum ac verè divinarum signa ac monimenta; visitare
aegrotos ac defectos viribus; absolvere à peccatis; non distrahen-
dis conjuges nexibus rituque solenni jungere; & quae alia mune-
ris ratio flagitabat. Haec erant bona Beati opera: & praeter ea exactissi-
mam temporis rationem habere; detestari otium; nec umquam inveniri à Sa-
tanā otiosum. Hac fini horis subsecivis, ne omninò nihil ageret, ingeniosissimè
odas Ecclesiasticas è vernaculà in Latinam lingvam transtulit; & edidit jam
olim treis centurias, tanto cum adplausu ab omnis generis doctissimis viris sus-
ceptas, ut vix citra stuporem tot, ac tantorum quidem virorum epigrammata
gratulatoria pervolutare possis. Mirificè quoq; Aerarium Poëticum celeberrimi
Weinrichii addaxit: adeoq; de re Scholastica in ipsis Ministerii Ecclesiastici
annis optumè fuit meritus, famamq; nactus numquam intermorituram. Et
jam de virtutibus Viri optumi disserendi sese occasio offert, è quibus, tamquam
fontibus, rivuli isti actionum laudatissimarum promanarunt. Quales sunt vera
& non fucata pietas, amor Dei sincerus, cultus devotus, ac veneratio Numinis,
caritas proximi, assiduitas in officio & Scholastico & Ecclesiastico, humilitas
animi & modestia singularis, patientia & constantia, quam multis probavit
modis. Incubuerat Alteburgo ann. c. 1533. pestis atrocissima, perni-
cissimus omnium morborum, & plus aliquid, quam morbus; quo, ultra duo
millia ac ducentos hominum, perierant. An v. loco cesit CLAUDERUS, aut
mentem despondit? Nequaquam. Pertulit omnia, & obduravit animum ad-
versus hoc malum, Deo fretus, ac munere, cui Deus praeesse voluerat. Et ser-
vatus est. Irruerat anno subsequente XXXIV. die Galli miles Caesarius, ac ter-
ror Panicus oppleverat omnia: quo factum, ut Beatus Vir, cujus non fortuna
solum, sed vita quoq; ipsa, quā non carius quidquam habemus homines, ad no-
vaculam videbatur admota, miserandis ac flebilibus suorum lamentis eò ada-

)(

am

Etus, descensu per moenia malum effugere ac manum 'cruentam conaretur. Quamquam a. Deo supponente manum, praesentissimum illud malum, quod minabatur descensus, eluctabatur, & liberio rem ingressus erat campum; violentiam tamen militis nec hoc modo evadere poterat. Nam correptus ab eo, & adligatus infessoris eqvo, iterum deducebatur in domicilium, & inde, quia *λύτρον ἢ ἀποινον*, sive redemptionis precium, quippe spoliatus & exutus jam bonis omnibus, exsolvere non poterat, trahebatur in templum, procidere ad altare iussus, & exspectare, dum abscinderetur caput à corpore. Post paulò, reductus in muséum, quae mala ibi non expertus fuit? Jam n. suspendium carnifices minabantur, & juramentis quidè additis, jamq; petitori jugulum erant, n. daret, quod flagitabant. Mox ense stricto ita diverberabant caput ac tergo, ut frangeretur ex tot ictibus ferrum. Mox fuste satis robusto ac nodoso adrepto iectus horrendos & minabantur pariter, & inferebant, dum fractus ille disiliret in frusta. Tandem ne quid saevitiae neglexisse viderentur, laqueum quemdam nodosum, & adplicatum capiti, ita constringebant, ut rumperetur. Sed quamvis variis hujuscemodi crudelissimorum suppliciorum generibus divexaretur vir pius, tantum tamen abest, ut frangeretur animo, aut spem in DEO conceptam semel abjiceret, ut potius creatori suo se permittens toleraret omnia, ac meliora speraret, immò, quod miramur meritò, nullos propemodum dolores inde sentiret. Idem n. Deus, qui olim aderat martyribus, nec huic deesse videbatur, mitigans cruciatus, & obdurans adversum eos corpus. Adeste hinc, qui adsidue inculcatis, ac postulatis à nobis miracula. Haec n. si non miracula, satis tamen sunt mirabilia. Interea vero non est absimile, debilitas quodammodo hac ratione fuisse capitis vireis, datumq; fomitem vertigini, quâ in aetate exita, ut veteres loquebantur, quae non corpora tantum, sed animos etiam debilitat, ac lacertorum quum hebetaverit nervos, frigus & menti insinuat, adfligebatur non rarò. Ex eodem fonte haut dubiè memoriae quoq; debilitas fluxit, observata paucis ante beatam abitum annis. Ordo jam requirit, ut de morbo, quo exstinctus, & morte ipsâ, quâ interceptus terrestri conversationi fuit, non nihil disseramus. Morbus potissimum ipsa senectus erat, pars peior aetatis nostrae, mortisq; anteambulo & praenuncia. Accedens n. marasmus senilis ita depascebatur vires, ac vigorem omnem membrorum, ut aliquamdiu neq; manus movere, neq; pedes posset. Et quamquam nihil praetermittebat Filius, Patris amantissimus, aulaeq; Aldeb. Medicus, Dn. D. JOSEPHUS, & interdum spes adfulgebat recuperandi vigoris; exiguo tamen intervallo decollabat ea, & Senis defloccati caro magis magisque absuta nihil minari aliud videbatur, quam
sa-

fatalem exitum, sive femininum, qui ut descriptus de pauctusq; semel est, ita nullâ ratione humanâ moveri potest aut proferri. Sentiebat etiam decumbens imminentem mortis horam; at neq; ad nomen ejus, neq; ad aculeum expaveſcebat. Expectabat potius avidiſſimè; ac mirificè lætabatur, quoties, qui viſitabant, de eâdem sermones miſcerent. Adſiduus n. in ore Chriſtus Jeſus, Salva- tor, erat, cujus vel ſola recordatio omnem mortis amarorem mitigat, immò tollit, & exquisitiſſimis mentem perfundit gaudiis. Tandem ann. cl. loc. LIII. a. d. III. Non Octobr. quum dies jam in finem ſuum iret, finem vitæ hujus mor- talis, ſomno placidiſſimo ſimilimum, nactus diſceſſit, Spirituq; in æthera ſub- vecto mortalitatis, exuvias, *κλυστηριῶ* ſive conditorio inferendas, depoſuit, cum Deo ac coeleſtium Spirituum ordinibus, conculcatis fortunæ ludibriis, in coelo triumphaturus. Ad diem VI. eid. Octobr. ſolenni pompâ efferebatur funus, componendum ritè in monumento, quod in aede ad coemeterium Su- periorum permiſſu hæredes moeſtiſſimi fieri curaverant. Quantam verò tum exſequiatorum turbam; quæ luctus publici documenta cernere erat? Et- enim exſequias ibant, & ferebant inferias nō infimæ tantum, aut mediæ fortis homines, & utriuſq; quidem ſexus, ſed SERENISSIMI etiam Ducis, DN. FRIE- DERICI GUILIELMI &c. ac SERENISSIMAE VIDUAE DOROTHEAE &c. Legati eminentiſſimi. Nec opus erat conducere præficas, quæ confictis qui- buſdam naeniis excitarent luctum, aut cicerent lacrymas. Sua cujuſq; pietas il- las imperabat & eliciebat. Sive n. viri merita volvebant animo, ſive acerbisſi- mum relictorum dolorem, maniſteſtiſſimis proditum indiciis cogitabant, uber- rima condolendi & iilacrymandi materies ad manum erat. Erigebat v. lu- gentium animos, & firmabat ſolatiis, è panacæâ verbi divini depromtis, *VIR PER QVAM REV. ET AMPLISS. DN. M. JACOBUS FREIESLEBIUS*, Eccleſiaſtes diſertisſimus, graviſſimusq; Conſistorii adſeſſor, urgens, non lugendum nimi- opere deſunctum eſſe, quum *κληρονομή* ſit Jeſu Chriſti, & quoad animam, cū eo jam triūphet, æternæ ac coeleſtis gloriæ, piis & ſanctis deſtinatæ, con- ſors; civiſq; divinorum Spirituū coetibus adſcriptus. Tandem finitâ concione, funebri hæredum nomine gratias exſolvit exſequiatoribus vir celeberrimus, DN. GEORGIUS CRAUSERUS, P. L. C. tum Lycei Alteburg. R E C T O R, hodie verò Superintendens Apoldanus, Fautor & Amicus meus honoratiſſi- mus, fraternoq; in CHRISTO amore proſequeendus. Quanto v. cum luctu aſiſ in locis audita CLAUDERI abitio fuerit, facilimè intelliget, quicquid expende- rit, habuiſſe eum ubiq; locorum ſuos Patronos, Fautores & Amicos. Nec diſ- ſimularunt illi dolorem ex hoc funere conceptum; quin potius abundè testi-
cati

cati fuerunt, missisq; epicediis manebat beati honorarunt. Inter quos velut inter igneis Luna minores eminet Nobilissimus Theologus, Dn. D. JAC. WELLERUS &c. cujus in honorem ac memoriam non ita pridem illaetabilis officii vicem suscepi, & quae dotes EJUS nec manu pictoris, nec statuarii artificio ostendi possunt, eas oratione delineare quadamtenus elaboravi. Ac nullo modo silentii cineribus obruendum arbitror distichon, quo Coryphaeus ille Theologorum, in quo divinorum oraculorum scientiam summam, cum incomparabili morum sanctitate conjunctam, an eruditionem litterarum ac linguarum tam variam, tam inusitatam demirentur magis, incerti sunt ac haerent omnes orthodoxi, Beatum CLAUDERUM ornavit, dum ita de eo canit:

Inter eos, qui Sacra DEI veneranda colebant,

(ORE, FIDE, CANTU & CARMINE PRIMUS erat.

Quo repetito encomio, quum nihil majus habeam aut amplius, quod addi possit, CLAUDERI nostri laudes clando & ob signo. Vos v. Plur. Venerab. & Ampliss. Dnn. INSPECTORES, Summiq; ac Doctissimi VIRI, eo, quo par est, modo rogo, ut singularem VESTRUM favorem & amorem, quo vivum abunde prosecvuti semper fuistis, benevolam & honorificam VESTRA praesentiam & frequentiam contestari denuo ne dedignemini, & auscultare placidissimis animis Orationem parentalem, quam CLAUDERIANAE memoriae consecratam DAVID Ziegler, Geranus, Lipsiam abiturus, crastino die sub secundam pomeridianam recitabit e cathedra. Gratisimo hoc beneficii & officii genus animo agnoscent *τὸ μακαρίτης* haeredes: & ego quibuscumq; rationibus poterō, id ut demerear, contendam usq; & enitar. Quumq; more alias receptum sit, ut in Valecturi commendationem non nihil adjiciatur; id tamen hac vice vix arbitror necessarium. Nam ipsi nostis abunde, Plur. Venerab. & Amplissimi DNN. INSPECTORES, PATRONI AC PROMOTORES HONORATISSIMI, quam sedulus fuerit haecenus Zieglerus iste noster, & quam laborarit usque, ne quid neglexisse videretur eorum, quae frugi adolescentem decent. Amatis eum paternè, & mecum prosperrima omnia vovetis. Haec a. dum dico, prolixissime hominem commendo, commendaturum semetipsum omnibus quibus innotescet. Abeat ille feliciter; proficiat feliciter; ac serviat Deo & proximo fideliter. Gratam mentem carmine Graeco eis exponet, à quibus quidquam boni accepisse meminit. P.P. prid. Kal. Sept. cl. Ioc LXV.

La 5345 QK

107

m.c.

QV. 239

QVAM
VIR PEI

DN. M.
RUS, CELEB
STIANUS, N

PLUR
DNN.
SUMMO
M, JOH. SE

OF
CLAU
DAVID

CRAST
BENE

SUBM
GER



Za
5345

X 204 7949

E-
S ET

AUDE.
ETA CHRI-
BURGEN.

LISS.
DRES,
OCTIS-
TRIS RU-

EM,
CRAM,
RANUS,

POMERI-
RE-
QVENTES,
MISSIME

HLERI
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

